

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCXLVII

A DIE XII M. APRILIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

CORRIGITUR

IN PRAEFATIONE CANTICUM ARISTOPHANIS.

LITERIS ADLERIANIS.

MUNITION

ALL INFORMATION CONTAINED HEREIN IS UNCLASSIFIED

Mirificam illam cantilenam, quae in Ranis v. 1331 sqq. legitur non antistrophicam esse, sed e quatuor strophis diversis constare in oculos incurrit. Et secunda quidem strophæ, fortassis etiam prima, maximam partem sumta est ex Euripidis Temenidis, in quibus Hynetho monodiam cecinisse videtur dirumque somnium exposuisse, quo mors vel ipsi vel Temeno patri a consanguineis imminens portenderetur. Deinde tertia strophæ ex quonam Euripidis loco uno pluribusve manaverit, prorsus latet. Quarta vero strophæ e Cretensibus Euripidis detorta est, in quibus monodiam cecinerat Icarus labyrintho inclusus. Uberius in editione nostra p. 408 et p. 419 hæc pertractata sunt. Sed quoniam nullum aliud ejusmodi canticum aetatem tulit, e quo metricæ monodiarum leges planius certiusque intelligi possint: profecto nostrum est, de metricis hujus ipsius cantici rationibus diligenter exponere. Utemur autem hac occasione ad versus aliquot melius etiam, quam in editione nostra factum est, corrigendos. Ipsum igitur carmen secundum meas emendationes hoc est:

ὦ Νυκτὸς κελαινοφαῆς στορ. α.

ὄρεφνα, τίνα μοι

δύστανον ὄνειρον

πέμπεις ἐξ ἀφανοῦς,

Ἄϊδα πρόπολον,

ψυχὰν ἄψυχον ἔχοντα,

Νυκτὸς παῖδα μελαίνας, 1335

φρικώδη δεινὰν ὄψιν,

μελανονεκυείμενα, φόνια φόνια δερ —

κόμενον, ὄνυχος [ἀμυχὰς] μεγάλας ἔχοντα;

ἀλλὰ μοι, ἀμφίπολοι, λήγρον ἄψατε, στορ. β.

κάλλισι τ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε, θέρμετε δ' ὕδωρ,

ὥς ἂν θείον ὄνειρον ἀποκλύσω, 1340

ἰὼ πόντιε δαῖμον.

τοῦτ' ἐκεῖν· ὦ ξύνοικοι, τάδε τέρα θεά —

σασθε· τὸν ἀλεκτρυόνα μου συναρπά —

σασα φρούδη Γλύκη.

Νύμφαισιν ὀρεσσιγόνοισιν, ὦ Μανία, ξύλλαβε. 1345

1*

ἐγὼ δ' ἅ τάλαινα προσέχουσ' ἔτυχον ἑμαντῆς ἔργοις, στρ. γ.
λίνου μεστὸν ἄτρακτον εἰ —

εἰ εἰ

εἰ εἰ εἰλίσσουσα χερσίν,
κλωστήρα ποιούσ', ὅπως

κνεφαῖος εἰς ἀγορὰν

φέρουσ' ἀποδοίμαν·

1350

ὁ δ' ἀνέπτατ' ἀνέπτατ' ἐς αἰθέρα κουφοτάται —

σι πετερίγων ἀκμαῖς, ἐμοὶ δ' ἄχ' ἄχα

κατέλειπε, δάκρυά τε δάκρυ' ἀπ' ὀμμάτων

ἔβαλον ἔβαλον ἅ τλάμων.

1355

ἀλλ' ὦ Κρήτες, Ἴδας τέκνα, τὰ

στρ. δ.

τόξα τε λαβόντες ἐπαμύνετε, τὰ

κῶλά τ' ἀμπάλλετε, κυκλούμενοι τὴν οἰκίαν.

ἄμα δὲ Δικτηννα παῖς Ἀρτεμις καλὰ

τὰς κυνίσκας ἔχουσ' ἐλθέτω διὰ δόμων πανταχῇ.

1360

σὺ δ', ὦ Διὸς, διπύρους ἀνέχουσα

λαμπάδας ὀξυτάταιν χερσίν, Ἐκάτα, παράφηγον

ἐς Γλῆκης, ὅπως ἂν εἰσελ —

θοῦσα φωράσω.

V. 1333. Qui merum calami errorem πρόμολον pro graeco vocabulo habuerunt, sine dubio moti sunt verbis αὐτόμολος, ἀγχιμόλος et imprimis Aeschyleo ἐπίμολος Sept. adv. Th. 629. Vide, quae dixi p. 411, quo loco etiam versum 1335 recte emendavi. — V. 1337. Demonstravi p. 412, metrum esse dochmiacum (id quod indicat frequentia solutionum), ideoque metro repugnare id quod in libris est, — δερκόμενον, μεγάλους ὄνυχας ἔχοντα. At sententia quoque ab h. l. aliena est. Nam in luctu mulieres lacerare genas unguibus solebant, cujus moris saepe mentionem fecit vel ipse Euripides. Itaque nunc correxi — δερκόμενον, ὄνυχος ἀμυγᾶς μεγάλας ἔχοντα. Tristi somnio, quo caedes et luctus portendebatur, apte poeta signa luctus tribuit, pullam vestem et genarum lacerationem. — V. 1342 sq. Recte statui p. 413, versum 1343 e creticis constare. At cretici jam a verbis τοῦτ' ἐκεῖν' incipiunt. Quare pro ἰὼ ξύνοικοι nunc scripsi ὦ ξύνοικοι, quum ἰὼ e v. 1341 natum sit. Tum vulgo legebatur τάδε τέρατα. At Rav. habet τάδ' ἔτερα, hoc est τάδε τέρα, id quod reposui. De attica forma τέρα disseruit Personus ad Moer. p. 369. — V. 1344 sq. Neque ullum metrum habet versus 1345, neque ferri possunt duo vocativi Νύμφαι ὀρεσσίγονοι ὦ Μανία. Ac metrum quidem quum pluribus modis restituere liceat, non ausus sum editor ullam ex meis

conjecturis recipere. Postea vidi priorem vocativum *νύμφαι* plane tollendum esse. Nam pro scripturis *ὄρεσιγόνοι* vel *ὄρεσσιγόνοι* dant *ὄρεσιγόνος* Monac. et *ὄρεσιγούοις* (sine *νύμφαι*) Harlei. Quod vero gravissimum est, Asclepiades haec dicit ex Aeschyli Xantriis, unde scholiastes affert, *Νύμφαι ὄρεσιγόνοιαι* (*ὄρεσιγόνοι* V) *θεαῖσιν ἀγείρω* —, sumta esse: Aeschyli autem versum ita fere legisse videtur, *Νύμφαισιν ὄρεσσιγόνοιςι θεαῖσιν ἀγείρω* —, multo aliter apud Aeschylum invenit, sed et ipse tamen cum dativo Diogenes, *Νύμφαις κρηναῖαις κυδραῖσι θεαῖσιν ἀγείρω*. Ex quo sequitur, Asclepiadem in Ranis non nominativum *νύμφαι ὄρεσσιγόνοι*, sed dativum *νύμφαις ὄρεσσιγόνοις* legisse. Recepto igitur dativo correxi,

Νύμφαισιν ὄρεσσιγόνοιςιν ὦ Μανία ξύλλαβε

„Mania, adjuva nymphas monticolas.“ Obscura haec sunt (*ἀνιπότακτα*, ut bene schol.), quia Euripidis verba et ad Glycae furtum transferuntur, et insertis *ὦ Μανία* interpolantur. Nam pro verbis *νύμφαισιν ὄρεσσιγόνοιςιν* sententia *ἐμοὶ* videbatur postulare. — V. 1347 sq. Recte et h. l. et v. 1314 *εἰ* ante *εἰλίσσοι* quinques habent libri optimi. Nostro loco oblitterata erat versuum *συνάρχεια*. Metrum enim hoc est,

Praeterea *εἰ* bis in medio seorsim positum est, ut v. 1314 quater, ubi Ravennatem secutus sum atque p. 401 auctore partim Demetrio et scholiasta observavi, *εἰ* seorsim posita ad musicos tantum modos spectare, adeoque has longas sine metro syllabas glyconeis interpositas eandem vim habere, quam habuerint breves sine metro syllabae dochmiis interpositae, quae paullo post v. 1355 ridentur. — V. 1352 — 1355. Etsi jam p. 418 sq. dochmiacum metrum fuisse intellexeram, nunc tamen haec ita potius distinxi, ut quinque pedes anapaesticos dochmiacorum systema dimetrorum sequatur. Nihil autem mutavi, praeterquam quod scripsi *κουφοτάταισι* pro *κουφοτάταις* et *δάκρυά τε δάκρυ* pro *δάκρυα δάκρυά τ'*, hoc quidem duce Hermann, cuius iambicum dimetrum probare non debebam. Ridentur dochmii Euripidei, in his omnium solutiones syllabarum, ut supra v. 1337 sq. — V. 1356. Ab initio novi plane sententiarum ordinis stropham constitui novam tironum causa, quamvis numeri in medio demum verbo *Ἰδας* finiantur. Nam extremum dochmiacum versus excipit paeonicus, cretici systematis initium,

ἔβαλον ἔβαλον ἂ τλάμων. ἀλλ' ὦ Κρήτης Ἰ —

δας τέκνα, τὰ τόξα τε λαβόντες ἐπαμύνετε, τὰ κῶλά τ' ἀμπάλλετε, κυ — . —

V. 1357. Libri contra metrum *τὰ τόξα λαβόντες*. Addidi τὴ particulam. — V. 1362. Pro vulgato *ὀξυτάταιν χερσὶν* sex optimi libri, etiam R V exhibent *ὀξυτάτας χερσὶν*, quem superlativum plane absurdum esse, quum manus ipsae agiles dicantur, p. 420

ostendi. Si quidquam in hac scriptura latet, illud ipsum latere videtur, quod ego ibidem posui, *ὀξύνεται χερσὶν*. Sed quia *λαμπάδας δευτέρας* etiam pro calami errore haberi potest, nunc vulgatam restitui, ut in re incerta.

Venio ad metricas totius cantici rationes. Aristophanes simplex illud, constans et aequabile antiquae musicae genus, quod Aeschylus praeivit, adeo ipse, ut comicus scilicet secutus est, ut metra mere Euripidea deridere potius soleret quam imitari. Contra Euripides recentiore musicam expressit, cuius modi magna celeritate et rapido quasi cursu ferebantur. Sed ob eam ipsam causam Euripides insigni metrorum varietati operam dare coactus est. Quare et in choris non justos glyconeos, sed polyschematistos, flexibile metri genus multarumque formarum posuit, et monodias, quae ne antistrophicae quidem essent, frequentavit. Sed monodiae majore etiam, quam chori, metrorum variatione distinctae esse debebant quum ob eam ipsam causam, quod nullis antistrophorum vinculis constrictae tenentur, tum quod in gravissimo luctu magni animorum motus magna etiam metrorum dissimilitudine exprimendi erant. Enimvero nostra monodiae Euripideae parodia non alio consilio proposita est, nisi ut nimia metrorum licentia illustri exemplo cognosci posset. Nam v. 1330 probabiliter correxi, *τὰ μὲν μέλη σου ταῦτα βούλομαι δ' εἶ | τὸν τῶν μονωδιῶν διεξελθεῖν τόνον* (*τόνος* autem metrum significat). Quam licentiam in nimia formarum varietate vel maxime positam esse non solum ex eo concluditur, quod constantissima Aeschyli metra v. 1264 sqq. opposita sunt, verum etiam ex alio loco apparet, in quo Euripidis glyconeus polyschematistus exagitur ob hanc ipsam diversissimarum formarum varietatem (*τὸ δωδεκαμήχανον* v. 1327; cf. etiam v. 1301 sqq.). Jam vero metricam hujus cantici descriptionem aliam in editione, aliam supra proposui; in utraque optimos quosque codices plerumque secutus sum, sed metra ipsa versibus aliter divisus nonnunquam differunt. Vereor autem, ne nunc metris haud multum variantibus sine idonea causa deseruisse videar, quae idem in editione, in qua major metrorum vicissitudo est, prudentius instituerim. Nam in editione pauca quaedam et ea breviter systemata, aliis autem locis non systemata exhibui, sed singulos versus et metra quum inter se diversa, tum aliud alio vehementius. Supra vero tametsi illud profecto effeci, ut metri formam nisi usitatam planeque cognitam nullam relinquerem: tamen coactus sum singulorum versuum numerum minuere, systematum ambitum augere, varietatem denique metrorum coercere. Utra ratio praeferenda sit, aliarum monodiarum comparata similitudine partim fortasse patebit. Quodsi longa parium versuum systemata excogitassem eoque Aeschylea metra ad Euripidis monodias transtulissem:*) ipse errasse me confiterer. Nunc *τὸ δωδεκαμήχανον* servavi, a versibus illud ad

*) Id ipsum nonnunquam accidit Hermannō, metricae artis restitutori.

systemata traductum, metrique formas reddidi plane diversas sive membrorum specie ac longitudine, sive arcta duorum metrorum conjunctione. Ita fit, ut unumquodque systema non e paribus, sed tantum similibus versibus constet, velut systemata Euripideorum dochmiorum, quos utpote varios et quasi polyschematistos Seidler atque Hermannus ab antiquis dochmiis secernere debebant. In ea igitur, qua supra usus sum, descriptione ratio metrorum haec est:

σρρ. α' v. 1331 — 1335 glyconei polyschematisti (omnes diversi), systema sive quinque sive septem versuum; v. 1336 anapaestus spondaicus; v. 1337 breve systema dochmiorum.

σρρ. β' v. 1338 — 1341 systema dactylicorum (tetrameter, hexameter, tetrameter, trimeter); v. 1342 sq. breve systema creticorum; v. 1344 sq. unus versus dactylico — creticus.

σρρ. γ' v. 1346 trimeter dochmiacus; v. 1347 — 1351 glyconeorum systema; v. 1352 versus anapaesticus; v. 1353 — 1355 dochmiacorum dimetrorum systema.

σρρ. δ' v. 1356 — 1360 paeonicorum et creticorum systema; v. 1361 sq. post basin trimetri dactylici; v. 1363 sq. trochaici, vulgaris et ischiorrhogicus.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior,** privatim 1) historiam dogmatum h. VIII — IX senis dd. tradet; 2) historiae ecclesiasticae partem priorem h. IX—X quinis dd. enarrabit. Publice theologiam pastorem, legum ecclesiasticarum Mecklenburgicarum ratione habita, h. XII—I dd. Lunae et Jovis praecipiet, et in Seminarii sodalitis catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Jo. Phil. Bauermeister, P. P. O., Ordinis Theologorum h. t. Decanus,** 1) privatim quinis dd. hor. X evangelium et epistolas Joannis interpretabitur; 2) privatim quinis dd. hor. XI systemata Catholicorum, Reformatorum, Socinianorum aliarumque ecclesiae christianae partium dogmatica exponet et cum Lutheranorum placitis comparabit; 3) publice binis dd. hor. III locos Actorum eos, qui in dogmatica maximi momenti sunt, explicabit; 4) isagogen in libros ecclesiae nostrae symbolicos tradet publice binis dd. hor. III.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O.,** 1) privatim senis dd. h. IX recentiorem ecclesiae inde a sacrorum instauratione ad nostra usque tempora historiam enarrabit; 2) privatim senis dd. h. VIII theologiam moralem docebit; 3) publice dd. Lunae et Martis h. VII artem homileticam tradet; 4) publice quoque die Mercurii h. II—IV in Seminarii sodalitis homileticas sodalium exercitationes moderabitur.
- D. Franc. Delitzsch, P. P. O.,** 1) evangelium Matthaei interpretabitur quinquies per hebdom. hora X privatim; 2) partem vaticiniorum Jesaiae priorem interpretabitur quinquies per hebdom. h. XI privatim; 3) elementa linguae arabicae docebit, adjuncta lectione Korani, bis per hebdom. horis definiendis publice; 4) exercitationes conversatorii exegetici moderari perget, binis per hebdom. horis die definiendo privatim, sed gratis.
- D. Julius Wiggers, P. E.,** 1) evangelia Matthaei, Marci et Lucae interpretabitur quinque p. h. dd. h. X; 2) encyclopaediam theol. tradet quater p. h. h. VIII; 3) symbolicam praecipiet quater p. h. h. IX; 4) epistolam Pauli ad Galatas interpretabitur d. Mart. et Ven. h. IV.

In ordine juridico.

- D. Conradus Theodorus Gründler, P. P. O., tradet 1) encyclopaediam juris, duce Falck, senis diebus h. IX; 2) jus ecclesiasticum, ducibus Wiese et Walter, senis diebus h. III.
- D. Augustus Ludov. Diemer, P. P. O., docebit 1) encyclopaediam juris, duce compendio de Loew, quater per hebd.; 2) jus canonico-ecclesiasticum, duce Eichhorn, quater per hebd.; 3) jus Megapolitanum privatum, ex schedis suis, quater per hebd.
- D. Fridericus Raspe, P. P. O., docebit principia processus judiciarii civilis, duce Linde, sexies h. XI et quater h. XII.
- D. Agathon Wunderlich, P. P. O., tradet privatim 1) doctrinam de hereditatibus bis hora VII et VIII; 2) institutiones et historiam juris romani, ter h. VII et VIII.
- D. Henricus Thöl, P. P. O., Ord. JCtor. h. t. Decanus, docebit jus germanicum privatum, quater h. VII et VIII.
- D. Rudolphus Jhering, P. P. O., 1) publice causas civiles dijudicabit, duce libro suo: Civilrechtsfälle, Heft 1, Leipz. 1847, hora deinde constituenda; 2) privatim tradet pandectas, excepto jure hereditario, duce Puchta, sexies h. XI et XII.
- D. Theophilus Henricus Fridericus Gaedcke 1) tradet principia, quae officium notariorum spectant, horis deinde constituendis; 2) quater per hebd. collegium civile practicum instituet. Nec deerit examinatoria et repetitoria cupientibus, quum de universo jure, tum de singulis ejus partibus.
- D. Iwan de Gloeden docebit 1) pandectas sexies per hebd. h. X—XII; 2) jus publicum Megapolitanum quinquies h. IX. Denique examinatoria offert.
- D. Hermannus Buchka 1) privatim jus criminale quinquies per hebd. horis definiendis docebit; 2) gratis selectas pandectarum partes bis per hebd. h. XII—I interpretabitur.

In ordine medico.

- D. Henricus Spitta, P. P. O., tradet quatern. hebdom. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis hebdom. diebus.
- D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit quater p. h. 1) materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi h. IV; 2) chirurgiae partem primam h. VIII; 3) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam

- h. III et 4) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX—XI moderabitur.
- D. **Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O.**, hora VIII—IX in demonstrationibus anatomicis osteologiam, syndes-mologiam et myologiam quater per hebdomadem tradet; 2) horis III—V artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam docebit.
- D. **Fridericus Hermannus Stannius, P. P. O.**, h. t. Decanus, offert: 1) institutiones physiologicas et pathologicas practicas sexies per hebdom. hor. XI—I; 2) pathologiam generalem tradet quatern. p. hebd. hor.
- D. **Christianus Krauel, P. P. O.**, 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. hor. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.
- D. **Jo. Frid. Guil. Lesenberg** has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.
- D. **Joannes Schroeder** tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.
- D. **Ludovicus Dragendorff** in arte obstetricia et in morbis gravidarum, puerperarum et neonatorum cognoscendis et curandis auditores erudiet. Praeterea examinatoria et repetitoria cupientibus offert.

In ordine philosophico.

- D. **Franciscus Volemarus Fritzsche, P. P. O.**, publice 1) quaternis diebus h. XI Ciceronis in Verrem actiones interpreta-bitur; 2) binis diebus h. XI Iliadis carmina selecta explicabit; 3) quaternis diebus h. III de religionibus veterum Graecorum disseret. Denique exercitationes seminarii philologici moderari perget, in quo Aristophanis Aves, tum etiam Terenti Eunuchus pertractabuntur.
- D. **Joannes Roeper, P. P. O.**, 1) publice docebit elementa anatomes plantarum demonstrationibus microscopicis accuratius explicanda die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen gene-ralem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam, senis diebus h. VII; 3) de plantis cryptogamicis disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

- D. Eduardus Danielis Henricus Becker, P. P. O.,** 1) publice aedificia villarum rite instituendi rationem tradet bis p. h. h. XII; 2) privatim culturam plantarum agrestium docebit quaternis diebus h. IX; 3) agros metiendi formasque delineandi doctrinam, adjunctis exercitationibus practicis tradet sexies p. h. h. III.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O.,** 1) privatim quater per hebd. Theocriti Idyllia interpretabitur; 2) privatim bis per hebd. Euripidis Iphigeniam Aulidensem explicabit; 3) privatissime quater p. hebd. Topographiam veteris Graeciae, duce Pausania, enarrabit.
- D. Helmuth de Blücher, P. P. O.,** privatim docebit 1) physicen experimentalem una cum collega amicissimo Karsten quater p. h. h. X—XII; 2) chemiam practicam binis diebus h. II—V.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., h. t. Decanus,** docebit publice trigonometriam bis p. h., privatim 1) calculum differentialem ter p. h., 2) geologiam quater p. h., horis commodis, 3) physicen experimentalem una cum collega amicissimo de Blücher quater p. h. h. X—XII. Privatissima denique offert collegia de quavis matheseos vel physices parte, nec non de rebus nauticis.
- D. Carolus Türk, P. P. O.,** publice 1) conversatorium historicum continuabit bis p. h. h. II; 2) de natura et scopo civitatis disseret semel p. h. h. II; privatim docebit 3) encyclopaediam literarum politicarum ter p. h. h. VII et 4) historiam populi Germanici quinquies p. h. h. VIII.
- D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., h. t. Rector,** privatim docebit 1) aestheticen seu philosophiam artis quinquies h. IX; 2) historiam literarum Germanicarum quinquies h. X; 3) exercitationes Seminarü philosophico-aesthetici moderabitur horis constituendis.
- D. Fridericus Francke, P. P. E.,** 1) publice anthropologiam psychicam quinis p. h. diebus exponet hora mat. VII—VIII; 2) privatim religionis philosophiam illustrabit quinis p. h. dd. h. VIII—IX; 3) privatim de politica disseret quaternis p. h. dd. h. IX—X.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.,** privatim 1) quaternis diebus h. III—IV metra, quibus Graeci atque Romani usi sunt, illustrabit; 2) quaternis diebus h. IV—V Sophoclis Oedipum Coloneum interpretabitur; 3) binis diebus h. X—XI Taciti Agricolam explicabit. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Eduardus Schmidt, P. P. E., 1) publice philosophiam religionis Christianae bis p. h. h. III; 2) privatim philosophiam historiae quater p. h. h. IV; 3) privatim historiam philosophiae docebit quinquies p. h. h. V; 4) privatissime sed gratis disputationes de rebus ad philosophiam religionis pertinentibus more solito moderabitur.

D. Carolus Hegel, P. P. E., 1) publice de rebus Germanicis inde ab a. 1789 disseret bis per hebdom.; 2) privatim historiam recentioris aevi quater h. IV, et historiam mediæ aevi quater h. V tradet.

D. Carolus Weinholtz privatim docebit 1) logicam formalem ex compendii sui secunda parte (Rost. 1834); 2) introductionem in philosophiam ex conspectu suo (Rost. 1826).

D. Bernardus Sthamer docebit 1) chemiae pharmaceuticae partem anorganicam ter p. h.; 2) chemiae analyticae partem qualitativam bis per hebdom.

* * *

Bibliotheca patebit quaternis diebus h. XII — I, festo die et solis excepto temporeque ad recensionem librorum necessario, tum quovis Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI — I, feriis ipsis tantummodo h. XII — I; **Museum** vero die Lunae h. II — IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferatur § 1 legum de usu bibliothecae nostrae scriptarum. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem equitandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam doceant. Domicilia quaerentibus monstrabit **J. H. Schultze**, Academiae nuntius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Christianus Wilbrandt, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **J. Ph. Bauermeister, Th. D.**

Juris consultorum **H. Thöl, J. U. D.**

Medicorum **F. H. Stannius, M. D.**

Philosophorum **H. Karsten, Ph. D.**

